

re nos ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ab irâ, præcipuè venturâ, extremi scil. judicii damnatorii Rom. V. 9. 10. 1. Theff. I. 10. liberare à timore mortis & servitute perpetuâ Hebr. II. 15. ab inferno & morte æterna Os. XIII. 14. ubi ἡνία noster, Christus Jesus inquit; E potestate inferni redimam eos, à mortè (æternâ) vindicabo eos. Ero pestes tua, ô mors, ero exitium tuum, ô inferne, confer 1. Cor. XV. 54. 55.

§. 7. IV. MODUM, quo redempti sumus, indicat Apostolus I. *Generatim*, cum ait; ἐξηγόρασεν. Verbum enim ἀγοράζειν, emere, redimere, emercari, in N. T. semper & ubique ejusmodi acquisitionem notat, quæ fit soluto pretio. Quod si verò verbum simplex ἀγοράζειν acquisitionem seu emptionem notat in Scripturâ, quæ fit pretii interventu, idque etiam quando de Cœlis nostri Christi Jesu emercatione sermo est, ut 1. Cor. VI. 20. cap. VII. 23. 2. Petr. II. 1. Apoc. V. 9. cap. XIV. 3. 4. utique & compositum ἐξαγοράζειν in hac ipsâ materiâ non excludet, sed includet pretium. Hinc patet, liberationem Christi verbo ἐξαγοράζειν hoc loco & Gal. IV. 5. expressam importare solutionem pretii, idque ex propriâ vocis significatione. Præter hæc duo loca bis tantum in N. T. occurrit vox ἐξαγοράζειν, sed impropriè & metaphoricè accepta, de temporis seu occasionis oblatae prudenti usu, ut Eph. V. 16. Coloss. IV. 5. Usurpat autem Apostolus locis jam citatis non verbum simplex ἀγοράζειν, sed compositum ἐξαγοράζειν, ut indicetur miserix, ex quâ Christus nos redemit, profunditas & redemptionis hujus soliditas vide Zach. IX. 11. Esa. LIII. 4. *Emphatica omnia hîc sunt*, inquit *Aretius Com. in h. l. Christus nos redemit. ἀγοράζειν est pretio numerato emere, verbo à foro ducto, ἀγορὰ forum est, ἀγοράζειν res venales emere pretio reddito. Sic nos eramus venales, ut pessimæ merces, nec reperiebat emptorem, donec Christus venit &c. Benè D. Balduinus Com. in Epist. Paul. ad h. l. pag. 799. In Græco est, inquit, ἐξηγόρασεν ἡμᾶς, certo pretio soluto nos redemit: Metaphora sumpta est vel à mercatoribus, qui mercem, quandam vel permutando vel pretium solvendo emunt, vel à ducibus, qui captivos certâ pecunia summâ ab hoste redimunt, vel etiam à*
Goële